



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

91. Dominica 3. Quadrag. Causa lapsûs Iudæ, eadômque Saulis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

148 *Sabbato Dom. 2. Quadrag.*

crescente rosâ acutior crescit spina, aut sicut  
mulier perpetuum sentit dolorem, qui tamen  
non est nisi in partu, aut sicut vires anima  
plus sentiunt viribus corporis.

3. *Anxietas*: quia ut agnus matrem, &  
contrario mater agnum, sic ipsa ovis agnum  
suum ubique sequebatur.

4. Quia immundis manibus raptabatur.

5. Crevit doloris vis, quando vidit maxil-  
las Christi ex magnis alapis rubicundas, &  
palescentes, ingemuit adhæc dolore gravis-  
simo.

6. Quia tam immaniter percussus, ut in-  
nocentissima caro & cutis tota esset intolerabi-  
liter lacerata.

7. Quia quantum sanguinis per totum  
corpus ex flagellatione Filij defluxit, tan-  
tum lacrymarum, hoc est, innumerabilium  
de virgineis oculis decurrebat.

MEDITATIO XCI.

*Dominica 3. Quadrag.*

*Causa lapsus Iudæ eadem, quæ Saulis.*

**V**idebo Judam sub nomine illius homi-  
nis, cujus novissima fiunt pejora priori-  
bus, quasi Furiam infernalem inter faces, &  
gladios, & fustes præcedentem. Petam agno-  
scere oculam tanti mali, eamque evitare, ne  
sim de Iudæ posteris.

*Confite*



*Dominica 3. Quadragesima. 149*

*Conf. 1.* Quæ causa est, quòd affecti oculi ad solem sereniorum magis cæcutiant, & qui tinnitum aurium patiuntur concentu suaviore lædantur. Ea est causa lapsus Iudæ, qui vitio proprio odium pro dilectione retulit: Ipse enim impatiens doctrinæ Christi, virtutum, & disciplinæ, sanctitatisque ejus, non potuit ferre disputantem de rerum humanarum, pecuniæque contemptu, de exercenda liberalitate, de frequentando DEO Eucharistico, fonte omnis sanctitatis, quem non credidit, expers piæ affectionis, nimiumque sensu proprio abundans, igitur primò offensus sanctimoniâ doctrinæ, mox odio habuit auctorem, quod autem quis odit, pro vilis habet, hinc illud: *Quid vultis mihi dare? ex adverso quod quis amat, charum habet, sicut ipse aurum: hinc illa cupiditas, malorumque radix avaritia, Matt. 26. furta. Ioann. 13. Murmur. Marc. 14. Hypocrisis. Ioan. 13. Arrogantia Ibidem, quòd permisit sibi pedes lavari ac Christo is, cujus cor diabolus habuerat. Hæresis. Ioan. 6. Sunt quidam ex vobis qui non credunt. & tandem desperatio, ideo vocatur, filius perditionis. En septem spiritus, qui Iudam fecerunt nequiores. Vnde diabolus, id est, calumniator, & Sathan, id est, adversarius dicitur: Quia malitia Diabolo, qui simile sui amat, temporique adest, aditum*



150 *Dominica 3. Quadrages.*

patefecit. Et duo quidem erant diaboli opera in Iuda. 1. Vendere Iesum. Luc. 22. 2. Tradere, Ioan. 13. Reliqua erant ex Iudæ malitia de malo thesauro prolata: Vnde toties in eum intravit dæmon, quoties novum peccatum fecit,

*Conf. 2.* Septem remedia quibus Iudam Christus revocare conatus. 1. conciliandi modus est humilitas, ut David fecit Sauli, & Christus se abiecit ad pedes Iudæ. 2. Est dominis placere, ut Iacob Labanum, & Christus dedit Iuda seipsum in mensa. 3. Ostendere se scire omnia, quæ quis molitur, & Christus id fecit Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. quibus verbis contristati singuli plus credebant, quam propriæ conscientia. 4. Ostendere se scire in specie omnia de adversarij dolis: & Christus hoc fecit Matt. 26. *Qui intingit mecum, &c.* 5. Minis, quod Christus fecit ibidem. 6. Uti alloquio, acrimoniam & pietate mixto; & hoc fecit Christus in horto vocans amicum, de nomine: non nominamus, quæ odio habemus: osculum cum inclinatione corporis sui admittendo, L. 4. rev. S. Brig c. 99. 7. Modus, prodigium faciendo, & Christus prastravit verbo omnes, ut Iudam erigeret: deinde auriculam Malchi sanavit.

*Conf. 3.* Quomodo Iudas in osculo Christi radijs ex eo micantibus Deum agnoverit,



*Feria 2. Dom. 3. Quadrag. ISI*

ut ait D. Chrysoft. ideoque desperaverit: Patientiam enim Domini ferre non potuit, qui majestatem prodidit, ait D. Ambr. D. Leo ser. 16. de Pâst. Dom. itaque abiit, pecuniâ refundit, laqueo se suspendit: *Tibi o Iuda, tua pœna commissâ est. Non poterat Iudas pejore manu perire.* Disquiram, quem sensum ego habeam de doctrina Christi, consilijs, & inspirationibus: & audiam D. Ang. ser. 1. de temp. *Mutet vitam qui vult accipere vitam: nam si non mutet vitam, ad iudicium accipiet vitam.* Spiritui Domini, me totum tradam gubernandû: quia ideo Iudas periit, quod se totum spiritui utendum non prebuerit, inquit D. Nazia. orat. 7.

MEDITATIO XCII.

*Feria 2. Dom. 3. Quadrag.*

*Triples reflexio circa Iudam.*

**V**idebo Iudam ea agentem, quæ in oratione de ipso scripta sunt, & acta. Petam tria: bene uti scientia, non nutare in Dei servitio, ferre amicorum persecutiones.

*Conf. 1. Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Iesus convenerat illuc Ioan. 18. Quomodo Iudas scientiâ instrumento pacis in mortem utitur? sciebat, & abutebatur. O repugnet scientia, quæ prodendo Christo servitura est! mecum sit ignorantia mea, si aliquando scientiâ etiam sacrâ*